



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

VIII. Soluuntur argumenta ex ratione petita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

Mediator homo præter Diuinitatem. Item: *Diuina humanitas, & humana Diuinitas mediatrix est.* Item lib. 9. ciuit. Dei, cap. 15. *Quærendus est Mediator, qui non solum homo, Verum etiam Deus sit.*

RESPONDEO, loquitur AVGVSTINVS de persona, quæ operi dare debebat dignitatem. id quod Patet, tum ex locis à nobis allegatis, tum ex lib. 9. ciuit. Dei, cap. 15. ab aduersariis citato. Nam postquam dixerat Augustinus, Mediatorem esse debuisse Deum & hominem, subiungit: *Nec tamen ob hoc Mediator est, quia Verbum, & maxime quippe immortale, & maxime beatum Verbum longè est à mortalibus miseris, sed Mediator per quod homo.*

### CAPVT VIII.

*Soluuntur argumenta ex ratione petita.*

**V**LTIMO obiiciunt rationes. Renouare corda, & dare Spiritum sanctum, sunt opera Mediatoris; docet enim Augustinus in Enchirid. cap. 33. per Mediatorem nos recipere Spiritum sanctum, & tamen certum est, dare Spiritum sanctum, & renouare corda, esse solius Dei. Item, docere est opus Mediatoris, & tamè August. in lib. de Magistro affirmat, solum Deum esse verum Magistrum, qui docet hominem scientiam, Christus ergo, vt Deus, Mediator est.

RESPONDEO, dare Spiritum sanctum meritorie, est proprium Mediatoris, sed hic modus dandi Spiritum, non est Dei formaliter, sed hominis; dare autem Spiritum sanctum, & renouare corda efficienter, & vt auctorem doni, non est Mediatoris, sed eius, apud quem Mediator intercedit, id est, Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et patet, quia cum donum Spiritus sancti, & omnis illuminatio detur à tota Trinitate, si eiusmodi donatio esset Mediatoris, tota Trinitas esset Mediator.

Pari ratione, docere principaliter est Dei, id est, Trinitatis: docere per modum instrumèti, est hominis; Christus igitur, vt Deus, Doctor ac Magister est verus ac principalis; idè Christus, vt homo, Mediator Dei & hominum, Doctor fuit,



vt instrumentum Diuinitatis, sed instrumentum coniunctum & singulare, non separatum & commune, qualia instrumenta fuerunt Apostoli & Prophetæ.

SECUNDA ratio est CALVINI, in epistola ad Polonos:  
 » Christus fuit caput Angelorum & hominum, etiam ante  
 » lapsum Adæ, integro adhuc statu rerum, Coloss. 1. *Primogenitus*  
 » *omnis creatura*: igitur fuit etiam Mediator Christus  
 » ante lapsum primi hominis: atqui tunc Christus nondum  
 » erat homo, ergo, vt Deus, erat hominum & Angelorum caput, & Mediator.

» Adde etiam, quod Chrysostomus, Augustinus, & Hieronymus in commentario cap. 3. epist. ad Galatas, exponentes illud: *Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, volunt per Christum Mediatorem datam esse legem, & de hoc loqui Paulum eo loco. Immo etiam Hieronymus vltimè progreditur, ac dicit, per hunc Mediatorem non solum legem esse datam, sed etiam mundum esse creatum: Constat autem Christum non fuisse hominem, quando lex data est Hebræis, & multò minùs, quando mundus creatus est: quare necessariò sequitur, vt secundum formam Dei Mediator fuerit.

RESPONDEO, Christum, vt Deum, fuisse etiam ante lapsum Angelorum & hominum, caput eorum, sed non ipsum solum, verum etiam Patrem, & Spiritum sanctum, Mediatorem autem Angelorum fuisse Christum, aut etià hominum ante peccatum, falsum est, alioqui etiam Patrem, & sanctum Spiritum faceremus Mediatore. Nam in primis Scriptura facit quidem Christum caput omnium Angelorum & hominum, Ephes. 1. & Coloss. 1. at Mediatorem Angelorum nusquam facit. Paulus enim 1. Timoth. 2. dum de Mediatore loquitur, disertis verbis affirmat, *Christum Mediatorem esse Dei & hominum*.

AVGVSTINVS autem in Enchiridio capite 108. addit, quòd si homo non peccasset, Christo Mediatore non eguisset. Et in caput tertium ad Galatas, dicit, Christum non esse Mediatorem Dei & Angelorum, sed Dei & hominum tantum, eò quòd Angeli, qui peccauerunt, nunquam reconciliandi sunt: qui autem non peccauerunt Mediatore non egeant.

Itaque



Itaq; quod CALVINVS dicit de Mediatore Christo ante peccatum Adę, est expressę contra Augustinũ, & videtur esse manifestus Arianismus. Neq; enim Calvinus ideo Christũ ante incarnationem facit Mediatorem, quodd ob incarnationem, & merita eius præuisa existimet datam fuisse Angelis, & primo homini gratiam, quod nonnulli ex Catholicis sensisse videntur, de quorum sententia modò non disputo: sed quod arbitretur ipsum Verbũ æternum, quã Deus erat, ante incarnationem, inter Patrem & Angelos, atq; etiam homines, in statu innocentie constitutos, Mediatoris officio functum. Quod sine suspitione Arianismi nõ dicitur. Nam Mediator, quã Mediator est, cùm debeat sacrificare, supplicare, intercedere, necessariò minor est Deo, cui sacrificat, cui supplicat, apud quem intercedit. Si ergo Christus, cùm adhuc non esset homo, Mediator erat, cerrẽ cùm adhuc nõ esset homo, Deo Patre minor erat: atqui tunc nihil erat, nisi Deus, igitur vt Deus, minor erat Filius Patre.

Neq; ab hac hæresi abesse videtur id, quod idẽ CALVINVS ait lib. 2. Instit. cap. 12. §. 4. *Fateor, inquit, in primo creationis ordine, & integro natura, statu præfectum Angelis & hominibus fuisse caput. Quæ ratione dicitur à Paulo primogenitus omnis creatura.* Hęc ille. Qui quidem solum Filium, etiam ante incarnationem, facit caput hominum & Angelorum. Illum enim facit caput, qui est primogenitus omnis creaturæ. Solus autẽ Filius est primogenitus omnis creaturæ. At si solus Filius erat caput hominum & Angelorum, igitur aliquid influebat Filius in Angelos & homines, quod Pater nõ influebat. non sunt ergo indiuisa opera Trinitatis, proinde nec est vna natura atque essentia Trinitatis.

Deinde, quid sibi vult illud: *Filium, & Deum, præfectum fuisse caput Angelis & hominibus?* A quo enim, quæso, præfectus fuit? Nonne à Patre? Igitur Patris minister, & quasi vicarius fuit Filius, etiam antequam esset homo. Et quid aliud Ariani volebant?

Nec iuuat Calvinũ locus Apostoli ad Coloss. 1. Nam cùm dicit, Christum esse primogenitum omnis creaturæ, vel loquitur de Christo secundum formam serui; vel, vt exponit Chrysostomus, loquitur quidem de Christo secundum formam Dei, sed non facit eum fratrem primogenitum creaturarum,



rarum, sed significat genitum fuisse à Patre, priusquam vllà creatura efficeretur, iuxta illud Prouerb. 8. *Domini possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Sed de his multa diximus in primo libro.

Iam quod attinet ad Patres, qui dicunt, Christum Mediatorem dedisse legem Hebræis, vel mundum creâsse. **R**ESPONDEO, Patres loqui de Mediatore materialiter, nō formaliter, non enim dicunt, Christum fuisse Mediatorem in creando mundo, aut in lege danda, sed dicunt, Christum Mediatore, id est, illam personā, quæ postea futura erat mediatrix, esse verum Deum, & auctore mundi, & legis, & omnium rerum. Vnde **CHRYSOSTOMVS** expressè dicit, Christum auctorem fuisse legis, & proinde abrogare illā potuisse. Ex quo sequitur, eum non vt Mediatorem, sed vt auctore primarium id fecisse: nec enim Mediator est auctor, nec legē abrogare potest, qui non est auctor. Et ibidem **AVGVSTINVS** dicit, Christū esse quidem Mediatorem, sed mediare inter totam Trinitatē & homines peccatores. Ex quo iterum sequitur, eum non fuisse propriè Mediatore, quando nulli erāt homines peccatores.

## CAPVT IX.

*Ostenditur, CHRISTVM sibi etiam aliquid meruisse.*

**R**ESTAT postrema quæstio; An videlicet Christus operibus, ac laboribus suis, non solū nobis omnibus gratiā & gloriam acquisierit, sed etiam aliquid acquisierit sibi. Et quidē Theologi Doctores apud Magistrum, in 3. sent. dist. 18. conveniunt inter se, atq; vno consensu docent, Christum præter ea bona, quæ suis laboribus peperit nobis, meruisse etiam sibi corporis gloriam, & nominis exaltationem.

Repugnat **CALVINVS** lib. 2. Instit. cap. 17. §. 6. *Quærens, inquit, an sibi meruerit, quod faciunt Lombardus, & Scholastici, non minus stulta est curiositas, quàm temeraria definitio, sibi hoc idem asserunt. Quid enim opus fuit descendere Ver-nicum Dei Filium, ut sibi acquireret quidquam novū? Et consilium suum exponens Deus, omnē dubitationem exemit. Non enim Filij Stilitati consuluisse dicitur Pater in eius meritis, sed*